

neu patriae validas in viscera vertite viris;  
 tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:  
 proice tela manu sanguis meus! 835  
 ille triumphata Capitolia ad alta Corintho  
 victor aget currum, caesis insignis Achivis;  
 eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenae  
 ipsumque Aeaciden, genus armipotenti Achilli,  
 ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae. 840  
 quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat,  
 quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli,  
 Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem  
 Fabricium vel te sulco Serrane serentem?  
 quo fessum rapitis Fabii? tun Maximus ille es, 845  
 unus qui nobis cunctando restituis rem?  
 excudent alii spirantia mollius aera —  
 credo equidem — vivos ducent de marmore voltus;  
 orabunt causas melius, caelique meatus  
 describent radio et surgentia sidera dicent: 850  
 tu regere imperio populos, Romane, memento —  
 hae tibi erunt artes — pacique imponere morem,  
 parcere subiectis et debellare superbos.'

Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:  
 'adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis 855  
 ingreditur victorque viros supereminet omnis.  
 hic rem Romanam magno turbante tumultu  
 sistet eques, sternet Poenos Gallumque rebellem,  
 tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.'  
 atque hic Aeneas — una namque ire videbat 860  
 egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,  
 sed frons laeta parum et deiecto lumina voltu —  
 'quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?  
 filius ane aliquis magna de stirpe nepotum?  
 qui strepitus circa comitum, quantum instar in ipso, 865  
 sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.'  
 tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:  
 'o gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum.  
 ostendent terris hunc tantum fata nec ultra